



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Chronicon Montis-Sereni Sive Lavterbergense

Mader, Joachim Johann

Helmeſtadi, 1665

Historia Fvndationis Monasterii Bosavgiensis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11088

Anno Domini DCCCXXXIII. *Eberhardus* Comes præpotentissimus, fraterque ejus *Adelhero* in castro **EBERSBERG** monasterium Canonicorum regularium fundarunt. Postea tamen *Vdalricus* filius dicti Comitis Adelheronis ordinem regularium Canonicorum in monachos nostri ordinis commutavit.

Anno Domini DCCCXCVII. *Gebehardus* primus hujus nominis Episcopus Ratisponensis præficitur. Hic in territorio urbis Ratisbonensis quendam locum **Pruel** dictum, monachicæ vitæ aptum elegit, & monasterium construxit. Dotatum est per *Ottionem* M. magnifice & privilegiatum.

Anno Domini MLXII. septem fratres *Scotti*, quorum nomina sunt hæc: *Marianus*, *Mathantinus*, *Murchertachus*, *Clemens*, *Gervasius*, *Isaac*, & *Donatus* Ratisponam venerunt, & sicut in Chronicis legitur, quendam mortuum nuper in patibulo *Zandolphum* nomine ibidem resuscitaverunt, ac tempore *Ottionis* Episcopi tunc temporis locum, ubi nunc est *Prioratus S. Petri* extra muros civitatis inhabitare cœperunt.

Eberhardus Comes de *Ebersberg* supra dictus super flumen *Ilmuze* monasterium etiam construxit **Geysenfeld** ordinis nostri, anno Domini DCCCCLIII. & circa.

HISTORIA FVNDATIONIS MONASTERII BOSAVGIENSIS.

ANno Domini millesimo centesimo decimo, sub *Henrico* Imperatore hujus nominis quarto, sed in ordine regum quinto, auctorisante in Ecclesia militante post *Urbanum* II. viro Apostolico *Paschali*, Dominus *Theodoricus* *Zitzen* Ecclesiæ digne præficitur, vir vere commendandus, literis apprime eruditus, contra schismata, quæ nonnunquam suo tempore pullulabant, propugnator Catholicus, & in

& in omni pastorali sollicitudine commissæ sibi Ecclesiæ
 desudans utilitatibus. Hic tertio Episcopatus sui anno, sci-
 licet anno Domini millesimo centesimo quarto decimo,
 cum esset *B. Mariæ* Dei genitrici specialiter devotus, quen-
 dam Sclavum penitus illiteratum, eidemque *B. Virgini*
 æque devotum in sua curia habebat. Cui Sclavo *B. Virgo Ma-*
ria tunc apparuit adhortans, ut præfato Episcopo diceret, ut
 claustrum suo honori consecrandum non longe à suburba-
 no seu territorio suæ civitatis, in colle, quem antiquitas
Bosavugia nominaverat, construeret, & pro indicio verita-
 tis insinueret, quod secrete dicere solitus esset ante inchoa-
 tionem horarum *B. Virginis* hanc antiphonam: *Nativitas*
tua Dei genitrix, &c. Quæ cum idem Sclavus Episcopo
 nuntiasset, & Episcopus suum secretum illi revelatum co-
 gnosceret, quod Domina nostra sibi dilectissima virgo *Ma-*
ria voluit, quantocius adimplevit, & montem qui *Bosavugia*
 dicitur, primum occupavit ac fruticetis & spinetis munda-
 vit, & mense Septembri vi. Idus ejusdem mensis ligneam ca-
 pellam in eodem monte constructam in honore *S. Dei geni-*
trici & perpetuæ virginis *Mariæ* dedicavit, ipsumque mon-
 tem cum aliis prædiis in usam fratrum inibi Deo in perpetu-
 um secundum regulam beatissimi Patris *Benedicti*, Nigro-
 rum monachorum servitutorum assignavit. Nam de mona-
 stero *Hirsavugiensi* Spirensis diocesis, pro tunc in regulari
 observantia, secundum *Cluniacensium* statuta nominatissimo,
 Abbatem postulavit, & quendam *Erkenbertum* virum vene-
 rabilem, quem primum huic loco Abbatem præfecit, una
 cum aliis fratribus acquisivit. Secundo dehinc anno, qui
 est annus Domini millesimus centesimus quintus decimus,
 Basilicam hanc à fundamento erexit, & octavo ab hinc anno,
 qui est annus Domini millesimus centesimus vicesimus
 secundus, consummavit, duoque altaria, unum in dextrali
 Na 3 plaga

plaga in honore Apostolorum *Petri & Pauli* sexto Idus Septembris, alterum vero in sinistrali in honore Apostolorum *Philippi & Iacobi* Kalendis Maji dedicavit. Hic etiam quendam nobilem, nomine *Bennonem* de vicina Soraborum gente in conversum recepit. Qui cum vere perversus existeret, & ab Abbate saepe correptus emendare nollet, Abbas ad eius directionem etiam Episcopum advocavit. Qui cum praedictum durius, ut dignus erat, argueret, idem *Benna* cuncta impatienter ferens in tantam malitiam devenit, ut eundem Episcopum in oratione ante principale altare procumbentem latenter cultello perfoderet. Vnde post triduum venerandus Dei sacerdos quinto Kal. Octobr. anno Domini *mcxxiii* migravit ad dominum in eodem loco sepultus, quo occisus. Ipse vero *Benna* non conversus sed perversus mox vivus a Dæmone raptus, nusquam comparuit. Altero abhinc anno, qui est annus Domini *mcxxiv*. septimo Idus Septembris, dedicata est hæc basilica à Domino *Richvino*, venerabili Domini *Theodoricæ*, nostri fundatoris successore, ordinationis ejus anno primo, & ab *Arnoldo* Merseburgensis Ecclesiæ Episcopo, & quinque altaria ipso die, principale quidem altare in honore B. & perpetuæ Virginis *Mariæ* & *S. Iohannis* Baptistæ, sanctique *Iohannis* Evangelistæ: altare ante chorum in honore *S. Crucis*; altare post summum in honore *S. Benedicti*; in honore *S. Georgi* martyris in dextra parte: in sinistra vero parte in honore *SS. undecim milium virginum*, &c. Feliciter. Amen.

FVNDATIO MONASTERII PRUMIENSIS
PER PIPINVM SENIOREM QVI FVIT PATER
Caroli Magni Imperatoris.

Pipinus Francorum Rex, cum esset in venatione in *Arden-
enna* super flumen quod vocatur *Prumia*, venatores suos
& canes